



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros
partitum**

Laymann, Paul

Moguntiae

2. De peccatis contra spem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

bernationem Dei ac spiritualia beneficia tanquam signa praedestinationis aduertit, tum verò nullius mortalis peccati sibi conscius, firmiter Deo etiam in posterum seruiendi propositum in se experitur. 411.

C A P. II.

De peccatis contra spem.

I Peccata contra spem alia consistunt in commissione, & alia in omissione. Illa repugnant praecepto affirmatiuo sperandi in Deum, aliquando ideo impositum nobis. Prob. Nam omnis actus necessarius ad salutem necessitate medij, est etiam necessarius necessitate praecepti diuini: Sed actus spei est necessarius ad salutem necessitate medij. Ergo, Maior est Clara: Minor ex Apost. Hebr. 10. & 12. 412.

Praeceptum spei affirmatiuum obligat, 1. cum primum homini rationis vsum affecuto, Deus & beatitudo tanquam finis ad quem bonis actibus tendere debet, sufficienter propositus est, tum moram longiorem trahere non debet, quia ad hunc finem per actum Spei feratur. 2. Cum quis in periculo desperandi est, à quo eripi non posse videatur, nisi animum contrario actu spei confirmet. 412.

2 Circa peccata commissionis contra spem nota bene: sicuti in moralibus virtutibus, vni duo vitia opponuntur, vnum secundum excessum, & alterum secundum defectum. V. C. liberalitati prodigalitas & auaritia: sic etiam spei secundum excessum aduertitur praesumptio duobus modis, 1. Si beatitudo ex tuis viribus: 2. si sine operibus poenitentiae aut proprijs meritis caelestem gloriam, quia Deus secundum ordinatissimum decretum suum non remittit peccata nisi poenitentibus, nec dat mercedem nisi operantibus.

bus, atqui huic diuinæ ordini opponit. Ergo. Idem die de priori. Et peccata in Spiritum S. dicuntur, quia aditum Spiritus S. præcludunt, idcirco irremissibilia non absolute, sed quia rara remissio eorum. 413.

Secundum defectum Spei opponitur desperatio, cum quis desperat se vitam æternam consecuturum, aut remissionem peccatorum, ideoque omnem conatum excludit.

NB. Licet 6 sint peccata in Spiritum S. tamen 3 odium Dei, etiam refertur ad ea, quia directè opponitur Charitati Dei, per quam remissio peccatorum fit. Sed ideò reliquis non annumerandum, quia grauissimum scelus est quasi mensura aliorum peccatorum, ut in specificam aliorum peccatorum communionem venire non soleat. 413.

Charitas est perfectissimus amor.

NB. Fides ordine generationis antecedit spem, 4 hinc, quia fundamento amissa fide, etiam spes amittitur, non autem è contra, ut patet in homine desperato. 414.

NB. 3. Licet peccata præsumptionis & desperationis ex indeliberatione actus venialia sint, tum ex parte materiæ semper mortalia: Sicut odium Dei, blasphemia, & similia, quæ alicui attributo Dei secundum prauum voluntatis affectum, & interdum etiam secundum erroneum intellectus iudicium aduersantur. Nam huiusmodi peccata aliquando cum hæresi iuncta, V. C. Fiducia Lutheranorum, qui sine cooperatione & meritis se saluari posse existimant.

414.

C A P.